









1725.

1. Berthold, Joh. Georgius: De pacto, quo venditor  
pretium in se recipit, non modo quod firmum,  
sed et quod ipsos contractantes, invalido.
2. Conrad, Franciscus Carolus: Actorem qui fundi  
pretium non habet satis dare cogendum ex indelle  
gatis rationibus judicialibus secundum jus Roma-  
num et Germanicum, speciatim Saxonicum.  
- - - publico examini subicit.
3. Grangier, Prædus Frider.: De tacite renunciatione  
juris ex lapson fatalium quaesiti.
4. Hummel, Hugo Franciscus, Facult. juridicæ . . .  
Decanus l. b. s. p. d. (ad Reputatorem in mag. Anst.  
Sæm. Imperialis Mtri. invit.),

5. Knerzel, Georg Adolph: De nominacione  
actoris in criminalibus.

6. Meier, Joh. Henricus, Facult. juridicae -- Decanus.  
l. b. s. et o. (ad reputationem inang. Joh. Georgii  
Berluchii inserta)

7. Meier, Joh. Henricus, Facult. juridicae ... Decanus.  
lectri benevole s. et o. (ad reputationem Christiani  
Grotspieri Hoffmanni inserta)

8. Meier, Joh. Henricus, Facult. juridicae ... Decanus  
lectri benevole s. et o. (ad reputationem inang.  
Simonis Joh. Simonetky inserta)

9. Meier, Joh. Henricus, Facult. juridicae -- Decanus.  
lectri benevole s. et o. (ad reputationem inang.  
Georgii Adolphi Knerzelis inserta)

10<sup>a</sup> Meier, Joh. Henricus: Facult. juridicae . . . Deca.  
anus lectori benemerito s. et. o. (et deputati ones  
in mag. Francis Corti Concordi innotat).

10<sup>b</sup>  
11 Meier, Joh. Henr.: De communitate compascuo.  
rum per revocationem unius, altero licet  
dissentiente, extinda.

12 Meier, Joh. Henr.: De mariti executione in  
rem dotalem facta, interventione.

13 Meier, Joh. Henr.: De jure infantium.

14 Stein, Georgus Josephus: De privilegiorum exten-  
sione

15 Strecker, Cor. W. Meier: De validitate actorum coram  
judice illegitimo, inhabili, putativo

16 Strecker, Cor. W. Meier: De testamentis mente cap-  
torum invalidis contra Johannem a Sande, Hoffmann,  
multosque alios factos.

17.

Jenzell, Ernestus: De laudemio ejus demque contra  
legem publicam prohibitoriam praescriptionel.

18. Jenzell, Ernestus: De usuris extra consuetudinem vel  
morem praestandis.

1726.

1. Dalke, Georg Augustus: De probatione domicinii  
praescriptum in Saxonia Elect. Land. Officium.

2. Giesler, Elias Christianus: De factibus appella  
tionum

3. Fuchsinus, Georg Andreas: De reconventionel

4. Meier, Joh. Henricus, Facult. juridicæ ... Decanus  
lectori generalis s. et. o. (ad rep. in univ. Hieronymi Fuchsi  
Fruici Wilhelmi Wagneri invitat.)

5. Meier, Joh. Henricus, Facult. juridicæ ... Decanus  
lectori generalis s. et. o. (ad rep. in univ. Hieronymi Fuchsi  
Fruici Felicitatis Meieri invitat.)



1726.

6. Meier, Joh. Henricus, Famil. jurisicae ... Decanus  
lectori Genevæ s. et v. (ad reputationem  
in reg. Georgii Augusti Dathi invidet).

7. Meier, Joh. Henricus: De Stoffgaba Litterarum.

8. Meier, Joh. Henricus: De sententiis jurium in causis  
Civilibus.

9. Meier, Joh. Henricus: De pure singulari.

<sup>a. b.</sup>  
10. Meier, Joannes Henricus: Dissertationem in reg. juris-  
dican, sistentem jus devolutionis in Brabantia  
usitatum, in jure civili reductum. . . publico  
examen examini submittit. 2. Aufl.

11. Pre, Joannes Fredericus, de: De vulneribus lethalibus  
in genere per se et per accedens contingentes.

12. Reinhard, Tob. Jac.: De jure promissorum et retractuum  
in circa servitia et operas literarum subscriptorum  
in Illust. Ser. Dominis competente.
13. Reinhard, Tob. Jac.: De usuris unarum licitis.
14. Reinhard, Tob. Jac.: De eo quod justum est  
circa venationem
15. Rothermundt, Jo. Mich.: De officio, potestate,  
ac jure capituli sedo vacante.
16. Strecker, Conrad Wilhelm: De pacto antichretico
17. Strub, Jo. Philippus, Facult. juridice decanus l. b. r.  
(ad Disputationem in reg. Henrici Gualteri Kochleri innot.)
18. Strub, Jo. Philippus, Facult. juridice decanus l. b. s.  
(ad Disputationem Georgii Andree Frackmanni innot.)

19. Streit, Fr. Philippus, Facult. juridicae Decanus l. b. s.  
(ad disputationem inang. Christiani Lehmanni invit.)

20. Streit, Fr. Philippus, Facult. juridicae Decanus  
l. b. s. (ad disputationem inang. Joann. Leonardi Fla-  
schkii invit.).

21. Tenzel, Ernestus: De inspectione oculari.

22. Tenzel, Ernestus: De eo, quod pubes secundum  
ll. imp. et Sax. Reut. circa conciones iustum  
est.

23. Tenzel, Ernestus: De poena gladio  
post suspendium. 2 Saesl. 1728: 1750.

24. Wagner, Franciscus W. Ch.: De subtilitate nimia  
in analogia juris manufage.



1725/14 15  
DISSERTATIO INAUGVRALIS IVRIDICA  
CANONICO-CIVILIS,

DE

PRIVILEGIORVM  
EXTENSIONE;

QVAM

IN PERANTIQA VNIVERSITATE  
ERFORDIENSI

RECTORE VNIVERSITATIS AC PRO-CANCELLARIO,  
VIRO MAGNIFICO, MAXIME REVERENDO, ILLVSTRI, AMPLIS-  
SIMO ATQVE CONSVLTISSIMO

DOMINO

CHRISTOPHORO IGNATIO  
DE GVDENVS, J. V. D.

INSIGNIS ECCLES. COLLEG. S. SEV. CAN. CAP. ET SCHOLAST. EMINENT. AC  
CELSISS. PRINC. ELECTORIS MOGVNT. CONSIL. ECCLESIAST. EIVSDEM-  
QVE PER THVRING. IN SPIRIT. SIGILLIFERO,

EX DECRETO ET AVHTORITATE AMPLISSIMÆ  
FACVLTATIS IVRIDICÆ,

PRO LICENTIA

SVMMOS IN VTROQVE IURE HONORES, ET PRI-  
VILEGIA DOCTORALIA LEGITIME AC SO-  
LENNITER CAPESSENDI,

PVBLCÆ ERVDITORVM DISQVISITIONI SVBMITTIT

AVTHOR

GEORGIVS JOSEPHVS STEIN,

FVLDENSI,

DIE XXV. AVGVSTI, A. O. R. M DCC XXV.

IN AVDITORIO MAIORI, COLLEGII MAJORIS, HOR. CONSVET.

ERFORDIÆ, Typis GROSCHIANIS, Acad. Typogr.



DISSEPTATIO IN AVORVM IVSICA  
CANTONIA CIVIS

DE  
PRIVILEGIORVM  
EXTENSIONE

IN PERANTOVA VIVERTAT  
ERTORDIENS  
RECTORE LYRIVS AC PAVILLINO  
DOMINO

CHRISTOPHORO IGNATIO  
DE GADENYS J. V. D.

EX DECRETO ET AVTORITATE AMPLISSIMA  
FACULTATIS JURIS

PRO LICENTIA

AVTOR

GEORGIVS IOSEPHVS-STEIN

IN AVTORIBVS MAIORIBVS  
AVTORIBVS MAIORIBVS



REVERENDISSIMO  
AC CELSISSIMO  
PRINCIPI AC DOMINO,  
DOMINO  
CONSTANTINO  
SACRI ROMANI IMPERII  
PRINCIPI,  
INCLYTÆ ECCLESIAE FVLDEN-  
SIS  
ABBATI,  
DIVÆ AVGVSTÆ  
ARCHI-CANCELLARIO,  
AC PER GEMANIAM ET GALLIAM  
PRIMATI.

PRINCIPI AC DOMINO,  
DOMINO SVO CLEMENTISSIMO.

NEC NON

PLVRIMVM REVERENDIS ET PERILLVSTRI BVS  
DOMINIS,

**DN. DECANO ET CAPITVLARIBVS**  
INCLYTÆ ECCLESIE FVLDEN SIS,

**D. AMANDO DE BVSECK**, Decano, Præposito in Monte S. Andrea.  
*Reverendiss. & Celsiss. Principis Locumtenenti.*

**D. BERNARDO à REINACH**, Capitulari, & Præposito in Blanckenau  
& Feudorum.

**D. STEPHANO DE CLODH EX HENNEN**, Capitulari & Præpo-  
posito in Monte S. Michaelis, Superioris Recepturæ Præsidi.

**D. CONRADO à MENGERSSEN**, Capitulari & Præposito in Monte  
S. Joannis.

**D. ADOLPHO CAMERARIO DE WORMATIA L. B. DE**  
**DALBERG**, Capitulari & Præposito in Zell.

**D. PLACIDO DE BASTHEIM**, Capitulari & Præposito in Monte S.  
Petri, & Feudor. Vice-Præposito.

**D. BONIFACIO AB HVTTEN IN STOLZENBERG**, Capitulari  
& Præposito in Holzkirchen.

**D. FRANCISCO DE CALENBERG**, Capitulari & Præposito in  
Thulba.

**D. WILHELMO AB HARSTALL**, Capitulari.

**D. FRIDERICO à KÖTSCHAV**, Capitulari, Perillustr. Consr. ad S. Sal-  
vator. Fuld. Superiori, & Venerab. Consistor. Fuld. Præsidi.

**D. CASIMIRO L. B. à SICKINGEN**, Capitulari.

**D. ADALBERTO L. B. à WALTERDORFF**, Capitulari.

**D. AVGVSTINO DE BASTHEIM**, Capitulari.

**D. EVGENIO DE BASTHEIM**, Capitulari.

**D. LEOPOLDO L. B. SPECHT à BVBENHEIM**, Capitulari.

**D. CAROLO L. B. DE FECHENBACH**, Capitulari.

**DOMINIS, DOMINIS SVIS PER QVAM GRATIOSIS.**



REVERENDISSIME AC CELSISSIME  
**PRINCEPS**  
DOMINE DOMINE CLEMENTISSIME.

NEC NON  
PLURIMUM REVERENDI AC PERILLUSTRES  
DOMINI,

DECANE AC CAPITVLARES,  
DOMINI PER<sup>Q</sup>VAM GRATIOSI.

**T**heses hasce juridicas, quas inaugurali *ſ*Cto-  
rum examini submissurus sum, Reverendis-  
simæ Celsitudini Vestræ flexo poplite hu-  
millime offerre, nec non Honori ac Venera-  
tioni Vestræ, Domini perquam Gratosi, demississime  
inclinare attentavi, cum nulli certè alii, quàm Domesti-

ca

*ce Ara in submississimi & submissi animi anathema il-  
las à me appendi fas fuerit. Male profectò agerem, nisi  
punctum Honoris in Celsissimis ac Perillustribus Nomi-  
nibus Vestris figerem, eosque præsertim respicerem, quos  
Præfulem, Decanum & Capitulares in Inçlyta Ecclesia  
Fuldensi Patrii Soli posuit Ordinatissima Numinis Pro-  
videntia, ut in Nominibus & sub Auspiciis Vestris re-  
spectivè Celsissimis ac Perillustribus vulgandæ de Privi-  
legiorum Extensione Theses prodirent in publicum. Gra-  
tiosissimo ac Perquam Gratiolis Vultibus Vestris, quos  
nulli negatis, non dedignemini Opusculum servi subjectif-  
simi & submissi Honoribus Vestris inscriptum, & quot  
in eo nigros characteres numerabitis, tot Vobis dies albo  
notandos calculo exoptari Clementissime Princeps, ac  
perquam Gratioli Domini Meccænates interpretemini*

REVERENDISSIMÆ CELSITVDINIS  
VESTRÆ,

AC PERILLVSTRIVM ET PERQVAM GRA-  
TIOSARVM DOMINATIONVM VE-  
STRARVM

*subjectissimus  
& submissus*

GEORGIVS JOSEPHVS STEIN.



Q. D. B. V.

## DE PRIVILEGIORVM EXTENSIONE.

§. I.



Veteribus privilegia significabant Le-  
ges nominatim in privatos seu sin-  
gulos homines latas; sic namque  
CICERO non tantum *Lib. 3. de Legit.*  
inquit: *Majores nostri in privatos ho-*  
*mines leges ferri noluerunt, id est enim*  
*privilegium;* sed pluribus etiam aliis  
in locis, praesertim in Oration. pro  
Domo sua; idem repetit, qui tamen privilegium in ma-  
lam potius, quam bonam partem accipere consuevit, &  
in Oration. post Reditum in Senat. Vim & crudelitatem  
privilegii appellavit. Verum insequentibus juris Inter-  
pretibus, nostrisque hodiernis Dd. Privilegia denotant ju-  
ra singularia, non habito respectu eorum, in quos, & de  
quibus privilegia feruntur, sed ad jus potius commune  
respicendo, cujus comparatione privilegium Jus singulare

A 2

ann-

nuncupatur. *L. 16. ff. de Legib.* Vocabuli hujus Etymon. D. ISIDORVS ex eo derivat, quod sit Lex privatorum, seu privata Lex, ac quasi in privato lata. *Can. 3. Dist. 3.* eoquod respiciat privatam utilitatem illius, cui conceditur, & qua veteres priva dixerunt, quæ nos singula dicimus. GREGORIO in *Can. fin. Caus. 25. Q. 1. v. Si ergo.* Privilegium idem sonat, ac *privatum Legium*; quia privatam legem generet. Alii privilegium quasi *privans legem* dictum volunt; eoquod privilegia faciant exemptionem à Jure communi, & quasi privationem legum in certo casu introducant, & illi, quibus data sunt, legibus communibus eo in casu soluti intelligantur, quorum etiam respicere videtur Imp. JUSTINIAN. in *L. 14. C. de Usufr. & habit.* in Verbis: *Quare ille usufructus sibi tale vindicet privilegium, ut à generali interemptione usufructus ipse solus excipiatur?* Addat. Textus in *L. 9. C. de Testament.* ibi: *Si non speciali privilegio patrie tue Juris observatio relaxata est.* Equidem in usu vulgari ac communissimo Vox Privilegii amplissimam sortita est significationem, & omnis generis prerogativam denotat, qua non tantum Jure aliquo, sed quovis accidente, aliud alteri eximitur, in quo sensu Privilegium quæcumque prerogativam, qua Deus, Natura, Fortuna, aut Homines alterum alteri pratulerunt, complectitur; At proprie eam solummodo prerogativam seu excellentiam ad scopum meum hic intelligo, qua homo vel causa aliqua Jus quoddam speciale præ reliquis sui generis habet, à legitimo auctore constitutum.

## §. II.

Privilegium ita proprie sumptum potest dupliciter considerari, nimirum *Formaliter*, nec non *Causaliter*, quo modo dicit *Juris singularis & specialis concessionem*; vel *Objectivè*; quatenus est ipsum Jus singulare, German. *Eine sonderbare Freiheit*; in qua acceptione ejusdem *Synonyma* vulgo esse censentur, *Indultum, Favor, Gratia, Immunitas, Beneficium.*

*scium.* Tamenſt ſtrictè loquendo privilegium differat à Gratia, beneficio &c. tanquam ſpecies à genere, vel tanquam inferius à ſuperiore: Nam omne quidem privilegium plerumque eſt gratia vel beneficium &c. non vero viciffim omnis gratia &c. eſt privilegium. Dixi plerumque, ſiquidem privilegium aliquando etiam in malam partem non commodi & pramit, ſed incommodi cauſa ferri poteſt, §. 6. *Inſtitut. de Jure Nat. Gent. & civil.* quod merè odioſum nuncupatur, & beneficium dici poteſt vel minime, cujuſmodi exemplum occurrit in L. 5. §. 1. C. ad Leg. Jul. Majeſt. LAVTERB. *Colleg. Theor. pract. de Conſtit. Princip.* §. 37. Illa vero differentia, quam Privilegium inter & Beneficium ſtatuit ENENCKEL, de Privileg. Lib. 1. cap. 2. n. 6. quod ſcilicet Beneficium ipſam actionem benevolam, Privilegium autem Jus per illam conſeſſum ſignificet, in Jure non attenditur, prout conſtat ex L. 68. & L. 196. ff. de Reg. Jur.

## §. III.

Definitiones privilegii varias varii adornarunt, prout aliqui ad ejuſdem ſubſtantiam requirunt ſcripturam; Alii, ut illud ſemper ſit contra Jus commune, exigunt; Quidam in bonam tantummodo partem privilegium accipiunt; Nonnulli id ipſum tam in bonam quam malam partem ſumunt, in qua ultima conſideratione definiri poteſt Privilegium, quod ſit *Jus ſingulare, ultra commune Juris tenorem, a ſequitatis adminiſtrande gratiâ legitime introductum.* L. 16. ff. de Legib. Si verò, ut plerumque fieri ſolet, privilegium in bonam duntaxat partem accipiatur, definitur breviter, quod ſit *conceſſio alicujus Juris ſpecialis permanens, a legitimo ſuperiore facta contra vel præter Jus commune.* Qua definitio explicat privilegium formaliter, nec non cauſative acceptum; Si vero definire velis privilegium objective ſumptum, dic illud eſſe *Jus ſpeciale permanens à legitimo ſuperiore conceſſum.* Ampliorem ejuſdem definitionem ſuppeditat GIBALIN. de Scientia Canonica L. 7. C. 7. n. 1. Quod mirum ſit *Conceſſio ſtabilis & permanens alicujus ſpecialis licentia*

circa Jus commune, ratione rei vel persone, ab eo solo, qui legem aut Jus commune condere potest, facta subdito, vel saltem inferiori, aut per consuetudinem obtenta.

§. IV.

Dicitur in hac ultima definitione Privilegium (1) *Concessio*; alii communiter pro hac voce utuntur verbis, *Lex privata*: Sed quia subinde conceditur alicui facultas aliquid faciendi vel omittendi, quin interveniat aliquis tertius, qui obligetur, v. g. facultas non recitandi Breviarium; ideo fortè melius usurpatur vox *Concessio* tanquam universalior; si tamen etiam hoc casu alios, ad nullam privilegiario molestiam desuper cauendam obligari, & sic legem privatam adhuc habere locum contendas, pertinaciter non resistam. Dicitur (2) *stabilis & permanens*. Siquidem, ut lex omnis, ita & privilegium aliquam ex sua natura stabilitatem & perpetuitatem exigit; per quam durationem Privilegium potissimum differt à *Dispensatione*, quæ necessario perpetuitatem non habet, & plerumque unico actu finitur, ut si cum aliquo dispensatur in Impedimento Matrimonii, vel super irregularitate, vel ut liceat uno aut altero die prohibito carnibus vesci; si tamen concedatur dispensatio per modum legis privatæ ad operandum ordinariè & stabiliter contra aliquod Jus commune, talem dispensationem privilegium recte dici posse, nullatenus dubito cum P. PIRHING. X. de Privileg. Sect. 1. §. 1. num. 5. Dicitur (3) *alicuius specialis licentiæ circa jus commune*; quibus verbis materia privilegii declaratur, & nihil aliud est, quam Jus speciale aliquid agendi vel omittendi contra, vel etiam præter Jus Commune Humanum, cujusmodi sunt multa privilegia v. g. dispensandi aut absolvendi à casibus reservatis, quæ sunt meræ Gratiæ concessæ, non contra Jus Commune, sed præter illud. SVAREZ. L. 8. de Legib. C. 1. n. 5. Contra privilegium secundum Jus commune quod alii *declarativum* vocant, non potest admitti; quia cum conceptionem Juris & facultatis specialis non contineat, propriè privilegium non est. *Can. ju. §. Si ergo. Caus. 25. Q. 1. L. un. C.*

*C. de Theſaur.* Neque obſtat *Cap. 7. X. de Procurator.* ubi Univerſitati Pariſienſi datur facultas deputandi Procuratorem, jam aliunde omnibus data hominibus; Nec pariter obſtat *Cap. 26. X. de Jurejur.* ubi Religioſis, quibus jurare de Jure communi non eſt prohibitum per *Cap. 39. X. de Teſtib.* licentia jurandi indulgetur. Nam in memoratis Textibus nulla proprie dicta continentur privilegia, ſed tantum quædam Juris communis declarationes, quæ dantur ad tollendam omnem dubitationem & ſcrupulos, vel ut majore auctoritate ſerventur, & adverſariorum impetus compeſcantur. Cætera verba finalia definitionis tam cauſam efficientem, quam ſubjectum privilegii indigitant.

§. V.

Ubi diſquiritur, utrum non ſubdito, ſive extraneo privilegium concedi poſſit? *GIBALIN. de Scient. Canon. L. 7. C. 7. Q. 3. n. 2.* aſſerit, eatenus non ſubdito privilegium communicari poſſe, quatenus ſaltem tranſitoriam aliquam ſubjectionem ex prorogatione Jurisdictionis ſuſtinet; Quod ſi vero nec hæc interveniat, per modum pacti vel honoris, vel commodi cauſa, privilegium non ſubdito concedi poteſt, ut eo ſaltem in Territorio concedentis fruatur, quia ſufficit materiam privilegii ſub Jurisdictione privilegiantis eſſe conſtitutam, tamenſi nulla propria in perſonam privilegiati poteſtas inveniatur; prout de privilegiis Clericis & Eccleſiis per Principes Laicos conceſſis ſtatuit *CARDIN. de LYCA de Regal. Diſcurſ. 131. n. 6. ZOES. X. de Privileg. n. 39.* cujuſmodi privilegia etiam ſunt, quæ Teſte *VITRIAR. ad juſ public. Lib. 3. Tit. 17. §. 66.* in confederatione inter Regem Galliæ & Status ſeptem Provinciarum Belgii unitarum ab utraque parte ſubditis ipſorum in utriuſque Territorio ratione commerciorum ſunt conceſſa.

§. VI.

An vero ad eſſentiam & Valorem privilegii ſcriptura requiratur? in dubium à quibusdam vocatur; ſed Negativa mihi verior videtur, quæ confirmatur tot privilegiis, vivâ voce conceſſis, & patet ex *Cap. Inſtitutionis Cauſ. 25.*

Q. 2.

Q. 2. Clem. Dudum. §. etenim. de Sepult. ibi: universa privilegia, gratias, indulgentias verbo vel scripto concessa. Extravag. Etsi. de Penit. Et remiss. inter commun. ibi: quascunque concessiones à sua Sanctitate tam scripto, quam verbo factas. Et ratio est, partim quia totus valor privilegii pendet ex voluntate concedentis, quæ tam vivæ vocis Oraculo, quam Scriptura manifestari potest; partim vero, quia lege nemo tenetur contra voluntatem legislatoris, eum obligare nolentis; igitur hoc ipso, quod subdito quocunque modo constet de Voluntate ejus, à legis obligatione per privilegium exemptis, illius obligatio cessabit. Subinde verò ad privilegii Valorem requiritur scriptura, ubi Jus ita expresse disponit, ut si fiat à Papa Collatio vel Unio Beneficiorum Ecclesiasticorum, vel confirmetur Electus. Extrav. 1. inter commun. de Elect. aut si concedatur facultas non residendi in Beneficii Curatis. Concil. Trident. sess. 23. c. 1. de Ref. Et specialiter circa privilegia & gratias, quæ à Sede Apostolica emanant, Regula Cancellariæ 52. disponitur, ut nulli suffragetur dispensatio in Judicio vel extra, nisi litteris expeditis. Licet autem ista Regula tantum loquatur de dispensationibus, idem tamen esse etiam circa alias gratias & privilegia, juxta stylum Curie Romanæ tradit JOAN. CHOKIER. in Regula 25. Cancellar. adeoque prædictæ gratiæ ante actualem litterarum expeditionem videntur adhuc informes & imperfectæ. Interim probabile est, quod in foro interno iis uti liceat, etiam ante expeditionem litterarum, si de concessione sufficienter constet. Neque obstat Can. 8. Dist. 100. ubi vis tantum scriptis privilegiis tribuitur. Nam Textus ille plus non probat, quam necessitatem scripturæ in ordine ad probandum privilegium in Judicio, & ad licitum usum pro foro externo, in quo sensu dict. Reg. Cancellariæ etiam intelligendam esse, modo sensu dict. ROBERT. KÖNIG. X. de Privileg. n. 21.

## §. VII.

Divisiones Privilegiorum occurrunt variæ, quarum potiores ut hic referam, dividitur I. quod aliud sit clausum



sum in Corpore Juris; aliud datum per speciale Indultum. Illud est, quod inter alias Leges Corpori Juris insertum reperitur, qualia sunt Privilegia Canonis, Fori, & alia personis Ecclesiasticis aut Ecclesiis, nec non Studiosis, pupillis, minoribus, mulieribus, militibus, & fisco concessa. Hoc est, quod in Corpore Juris communis sedem non habet, sed per speciale Rescriptum, Diploma, Bullam, vel etiam oretenus indulgetur. II. Dividitur privilegium in Affirmativum & Negativum. Affirmativum est, quod positivis & affirmativis verbis aliquid concedit, aut etiam aliquid faciendi facultatem tribuit, v. g. eudendi monetam, creandi Tabellarios, dandi suffragium in aliena Ecclesia; Negativum appello, quod privativis verbis quempiam ab onere liberat, utputa Immunitas à Gabellis, Tribus, Vectigalibus vel Decimis solvendis. III. In mere Gratosum, Remuneratorium, & Onerosum. Mere gratiosum est, quod ex pura liberalitate, nulla habitâ ratione meritorum, vel obligatione reciproca privilegiati: Remuneratorium, quod in compensationem precedentium meritorum: Onerosum, quod cum onere reciproco per modum contractus conceditur; ut si Civitas pro Privilegio sibi concessio se vicissim obliget ad alendam Principis Curiam. IV. In absolutum sive Favorabile, & Respectivum sive Odiosum. Illud est, quod ita privilegiati favorem concernit, ut in nullius præjudicium & gravamen redundet, veluti privilegium faciendi Testamentum non solenne, dispensandi, celebrandi in Pontificalibus. Hoc est, quod præter favorem privilegiati gravamen vel præjudicium alterius continet, ut privilegium non solvendi decimas, exercendi Jura Episcopalia, vel Parochialia in alieno Episcopatu vel Parochia.

§. VIII.

Denique ommissis aliis divisionibus Privilegium ratione subjecti dispescitur V. in Reale ac Personale. *L. 68. l. 106. ff. de R. J.* quæ divisio potissima est & specialiter notanda. Reale est, quod directe & principaliter Rei, Causæ vel Digni-

gnitati conceditur, eisque cohaeret, ac per consequentiam prodest personis, ad quas ea res vel causa pervenit. Personale dicitur, quod immediatè ac directè personis in favorem ipsarum confertur. *Dist. L. 196. R. 7.* Si quis autem contra hanc divisionem opponat: omne Privilegium concedi, & cedere in utilitatem personarum, utpote quae sola sunt capaces favoris & beneficii; Repono: In eo diversitatem nihilominus stare, quod Privilegium Reale immediatè & directè radicetur in re, ac mediatè tantum personarum utilitatem respiciat; Personale è contra Personarum tanquam subjecto immediato absque rei contemplatione inhareat, ejusque favorem concernat; ad dignoscendum verò, num privilegium sit reale, vel personale, diligenter expendenda sunt verba Privilegii, & si dirigantur ad personam cum expressione Nominis, censetur personale; si vero ad Personam cum expressione Rei vel Dignitatis, erit reale. *Arg. Cap. 14. X. de Offic. & pot. Jud. deleg. L. 7. §. 8. ff. de pactis.* FRANCISC. SCHMER. *Jurisprud. Canon. civil. L. 1. Tr. 1. C. 8. Sect. 4. §. 2. n. 202.*

## §. IX.

Personale privilegium triplex facit LAYMAN. *Lib. 1. Tract. 4. C. 23.* I. propriè ac singulariter personale, quod uni tantum individuo per se conceditur. II. Communiter personale, quod certo personarum generi conceditur, v. g. Restitutio minoribus: SC. Vellejanum mulieribus. III. Corporaliter personale, quod corpori sive communitati, nputa Municipio, Collegio, Academia, quae personae fictae & mysticae dicuntur, *L. 22. ff. de Fidejussor.* confertur. Quaequam negari non possit, quod privilegia communiter & corporaliter personalia sic dicta, plerumque mixta potius sint dicenda, cum multa de natura realium participant, & ad haeredes, nec non successores transeant. Imo alii probabilius docent, privilegium corporaliter personale sic dictum, simpliciter potius pro reali habendum esse, eo quod Reale privilegium sit dicendum, cujus subjectum est res non tantum corporea, veluti fundus, castrum, Ecclesia:

fia: sed etiam Incorporata, ut Societas, Universitas, Collegium, vel aliud Corpus politicum. *L. 4. §. 3. ff. de Censibus. KÖNIG. X. de privileg. n. 16.*

§. X.

Consistit autem privilegiorum omnium vis & effectus potissimum in legitimo illorum usu, qui ut plurimum à genuina eorundem interpretatione dependet; Quemadmodum vero propter verborum inopiam, rerumque infinitam ac multiplicem varietatem nulla Lex unquam ita aperte, & tam accurate ac præcise ferri vel determinari potest, ut non interpretationem aliquam & dilucidationem subinde desideret; *L. 10. seqq. ff. de Legibus. L. 13. ff. de Testib.* Unde scire leges non hoc est, verba earum tenere, sed vim ac potestatem. *L. 17. ff. de Legib. & illarum defectum justâ interpretatione adjuvare. Arg. L. 64. §. 1. ff. de Condit. & demonstr.* Sic etiam in privilegiis, quæ & ipsa Leges quadam sunt, licet universalibus constitutionibus accuratiora & strictiora esse soleant, nonnunquam tamen defectus aliquis occurrit, aquâ interpretatione supplendus.

§. XI.

Interpretatio Juris in genere describitur, quod sit genuina Legis alicujus explicatio vel declaratio juxta eam significationem, quam intendit & proposuit Legislator. Atque alia est *Authentica*, alia *Doctrinalis*; Illa iterum *Legalis*, vel *Usualis* dicitur. Authentica Legalis est, qua per expressam Legem anterioris Legis sensus explanatur, eaque non ad Juris prudentes, sed Juris parentes seu Legislatores pertinet: nam ut loquitur JUSTINIAN. in *L. fin. §. 1. C. de LL. Si leges condere soli Imperatori concessum est, etiam Leges interpretari solo dignum Imperio esse oportet.* Et juxta monitum INNOCENT. III. in *Cap. 31. X. de Sentent. Excommunic.* Unde Jus prodiit, interpretatio quoque procedere debet. Quam potestatem authenticæ Legem interpretandi etiam aliis Legislator specialiter indulgere potest. *§. 8. Instit. de Jure Nat. Gent. & Civil.* prout Cardinalibus data est li-

centia, Concilium Tridentinum interpretandi. Authentica Usualis Interpretatio est, quæ per usum & consuetudinem introducit, & in effectu pro Lege habetur. Nam, ut inquit JC. in L. 37. ff. de Legib. Si de interpretatione Legis quaritur, in primis inspiciendum est, quo jure Civitas retro in ejusmodi casibus usa fuisset: optima enim Legum interpres est consuetudo. Doctrinalis Interpretatio est, quæ fit arte & peritia interpretum, Doctorum, & inferiorum Judicum; Et hæc quamvis non inducat obligationem Legis, habet tamen probabilitatem, cum in quavis facultate standum sit Judicio peritorum; Imò hanc Doctrinalem Interpretationem interdum aequivalere Authenticæ, quando scilicet constans & concors est DD. sententia, Legem hoc vel illo modo intelligendam & observandam esse, notat SVAREZ. de LL. lib. 6. C. 1. n. 6. Tanta enimvero sententiarum constantia & concordia facit moralem certitudinem, contra quam in aliud placitum inclinare velle, nota foret temeritatis.

§. XII.

Porro hæc Doctrinalis Interpretatio alia est *Declarativa*, alia *Extensiva*, alia *Restrictiva*. Declarativa, quam alii simplicem aut literalem sive verbalem vocant, est congrua obscurorum, æquivocorum, aut dubiorum verborum expositio. Extensiva iterum est vel *Comprehensiva*, vel *pure Extensiva*; Illa est, quando Lex per interpretationem extenditur ad personam vel casum verbis quidem non expressum, mente tamen Legislatoris ob adequatam rationis idemritatem comprehensum, quod sit (1) in correlativis, (2) in connexis, sive subordinatis, & (3) in æquiparatis, sed in ordine tantum ad illa, in quibus æquiparantur. Pure Extensiva Interpretatio dicitur, quando ob paritatem vel similitudinem rationis dispositio Legis producit ad personam vel casum neque verbis, neque mente Legislatoris comprehensum; Cum enim non possint omnes casus Legibus comprehendi, procedendum est à similibus ad similia, hoc est, in occurrente casu non expresso;

presso, habente tamen similitudinem cum expresso, iudicandum est ad normam expressi, si disparitatis ratio inter unum & alterum casum assignari nequeat. *L. 12. § 13. ff. de Legib.* Denique Interpretatio Restrictiva est, cum iusta ex causa credimus, casum particularem sub Lege universaliter latâ non contineri, unde *Epikia* dicitur, id est, benigna interpretatio seu restrictio Legis secundum aequum & bonum, utputa si Lex in certis circumstantiis fieret nimis dura, vel irrationalis, vel iniqua: Sic Monialium Clausura non ita stringit, ut exorto incendio vel ingruente hoste non liceat illis ad vitandum mortis periculum fugere; Et Lex jejunii non censetur obligare in casu gravis infirmitatis. Quod non tantum in humanis, sed & quibusdam ex Divinis & Naturalibus præceptis procedit. Sic Christus reprehendit Judæos, ita stricte Sabbathum observari volentes, ut nequidem curationem infirmorum putarent eo die licitam.

§. XIII.

Quoad Interpretationem privilegiorum in specie observandum est, eam similiter, ut Legum communium duplicem esse, *Authenticam* nimirum & *Doctrinalem*: quarum illa aliâs generalis, perpetua & necessaria dicitur, eique solummodo convenit, qui condendorum privilegiorum potestatem habet. *Cap. 31. X. de Sentent. Excommunic.* Contra Doctrinalis, quæ temporalis, particularis & probabilis appellari solet, Judicibus etiam interioribus & Jctis, licet neque legem, neque privilegium dare possint, convenit. Equidem *LVDOVICI ad ff. de Constitut. princip.* Doctrinalem privilegiorum interpretationem rejicere videtur ex eâ ratione, quod Beneficia principalia ipsi Principes soleant interpretari. *L. 43. ff. de vulgar. § Pupill. substit.* & juxta effatum *CELSI in L. 191. ff. de R. J.* ipsius principis æstimatio sit, quem modum esse sui beneficii vellet. Verum hæc non obstantibus Doctrinalis privilegiorum interpretatio rectè retineri potest; Nam tunc demum necessariò ad Principem tanquam Authenticum suorum privilegiorum inter-

pretem est recurrendum, quando de mente vel sensu privilegii difficilis inter subditos oritur contentio, quæ ex verbis privilegii neutiquam potest decidi. CARPZOV. P. 2. c. 6. def. 8.

§. XIV.

Pariter Doctrinalis privilegiorum interpretatio, perinde ut illa, quæ circa eruendam justam cujusque legis communis sententiam occupatur, intriplicem speciem non absurde dispesci potest, ut nimirum alia Declarativa, alia Restrictiva, alia denique Extensiva nuncupetur; Ubi quidem de Declarativa & Restrictiva, quin circa privilegia locum inveniant, nemo facile dubitare poterit. Utrum vero Extensiva privilegiorum interpretatio, sive quod idem est, eorundem Extensio sit admittenda? non adeo expeditum, imo multis difficultatibus obnoxium argumenti genus esse videtur; Est autem Extensio privilegii nihil aliud, quam quando ad alias pluresve personas vel negotia, quam quæ verba privilegii designant, aut designare videntur, ejusdem vis & effectus juxta quadam causâ suadente prorogatur. ENENKEL. *de privileg. Lib. 2. Cap. 2. n. 13.* Quapropter à Declarativa & Restrictiva privilegii interpretatione Extensio ejusdem in eo differt, quod illa locum habeat, ubi verba privilegii sunt aliquo modo ambigua vel obscura; Hæc verò, quando privilegium ultra verba satis clara ob similitudinem casus aut rationis ad personas vel casus in privilegio non expressos, & sic de subjecto ad subjectum, de persona in personam, de loco in locum porrigitur. Equidem hunc extensivum modum in privilegiis omnia legum placita respuere, ac Juris interpretes improbare videntur; Quia PAVLVS in L. 14. ff. de LL. L. 141. ff. de R. J. pro Regula tradit: id, quod contra rationem Juris (intellige communis) receptum est, non debere ad consequentiam produci, i. e. non debere porrigi ad causas similes, in quibus eadem ratio obtinet; Sic enim Jus dicitur produci ad consequentias, cum argumento parium, de quibus Jus singulare constitutum est, dicimus consequens esse,

esse, ut in paribus causis idem jus statuatur. IDEM in L. 68. ff. de R. I. inquit, in omnibus causis id observari, ut ubi personæ conditio locum facit beneficio, ibi deficiente eâ, beneficium quoque deficiat. Hinc & JULIANVS in L. 15. ff. de LL. ait: In his, quæ contra rationem juris constituta sunt, non possumus sequi regulam Juris; ubi per Regulam non intelligitur ipsum jus commune, sed Regula de interpretatione Juris ac Legum, juxta quam alioquin permiffum est jus constitutum porrigi ad eas causas, quibus eadem ratio subest. Et Pontifex Maxim. in Cap. 28. de R. I. in 6. præcipit, ea, quæ à Jure communi exorbitant, nequam esse ad consequentiam trahenda; Unde constitutiones Principum personales, sive privilegia, quæ certis personis & causis specialiter contra rationem juris constituta sunt, personam non egredi, nec ad exemplum trahi debere dicuntur, in L. 1. §. 2. ff. de constit. Princ. Hoc vero non aliam ob causam, quam quod hæc Jura constituentes nolint illa ad exemplum produci, & porrigi ad alias personas & causas, quam de quibus nominatim sunt introducta. Dum enim ex Regula, sive Jure communi, per constitutionem personalem certos casus & causas excipiunt, hoc ipso regulam in cæteris casibus, causis, & personis confirmare intelliguntur. arg L. 12. §. 43. ff. de instrum. vel instrum. legat. Atque hoc ipsum sensit, & satis expresse declaravit ipse quoque JUSTINIAN. in §. 6. Institut. de I. N. G. & C. quo in loco, cur speciales constitutiones seu privilegia non possint ad exemplum trahi, nec personam egredi, hanc rationem reddit, quod hoc princeps non velit. E quibus omnibus DD. passim concludunt, ac uno fere ore & calamo dicunt & scribunt, privilegia arctissime accipienda, & non ultra, quam verba præferunt, dilatanda vel extendenda, sed quocunque modo restringenda esse; cui præterea & illa Juris ratio suffragari videtur, quod ea, quæ stricti Juris sunt, extensionem nullam recipiant, privilegia verò stricti Juris esse, non tantum ex eo, quod sint contra jus commune, vel ab eo recedant, verum etiam

iam

iam præter loca superius adducta in specie colligi videntur  
ex *Cap. 3. 7. & 20. X. de privileg.*

§. XV.

In contrarium tamen pro Extensione privilegiorum  
facere, eamque suadere videntur varia Juris utriusque lo-  
ca, & innumera passim in Legibus nostris occurrentia ex-  
empla, ubi jam hoc, jam aliud, nunc isto, nunc illo mo-  
do, extendi privilegium manifeste videmus, velut in *L. 5.  
§. ult. ibi: pro favore pupillorum latior interpretatio est facta. ff.  
de usur. L. 74. ff. de Jure dot. L. 4. ff. de fund. dotal. L. unic. ff.  
de Bonor. possess. ex Testam. milit. L. ult. C. in quibus caus. in inte-  
gr. Restitut. non est necess. L. 14. ff. de SC. Maced.* Cum igitur  
Extensio privilegiorum ubique in Legibus appareat, nul-  
lum omnino dubium superesse videtur, fieri posse, quod  
ubique fieri conspiciamus; præsertim, quia expressum &  
generale præceptum extat, quo beneficia Principum ple-  
nissime & largissime interpretari jubemur. *L. 3. ff. de Con-  
stit. Princ. Cap. 16. X. de V. S. Cap. 22. X. de privileg. cap. 6. X.  
de Donation.* Hinc *SENECA L. 2 de Benefic. C. 28.* inquit: nul-  
lum est tam plenum beneficium, quod non vellicare ma-  
lignitas possit; nullum tam angustum, quod non bonus  
interpret extendat. *Et lib. 5. C. 19.* nullum beneficium est,  
etiam longius positos. Accedit, quod major privilegio-  
rum pars ob favorem personarum certarum aut negotio-  
rum introducta sit, favoris autem, si cujus alterius, ea na-  
tura est, ut extendatur; & quemadmodum benignitas at-  
que Indulgentia Principis odia restringere ac minuire ju-  
bet, ita e contra favores augere & ampliare permittit. *C.  
15. de R. I. in 6.* Insuper quæ condere privilegia ratio jus-  
sit, eadem sic interpretari illa mandat, ut quam maxime  
polleat, valeatque rationis istius effectus; Valet autem,  
cum omnia, quæ vel tacite vel expresse continentur, pri-  
vilegii fructum participant; Imo sunt quadam privilegia,  
quibus ipse, cui data sunt, nullo modo frui posset, nisi ad  
alios quoque vis eorum & beneficium porrigeretur. *L.  
ult.*



*ult. C. de Usur. rei Judic. in fine. Denique totus Tit. de V.S. & alia Leges ideo Verborum significationem nobis generaliter & universim tradunt, ut verba principum in Legibus, Constitutionibus ac privilegiis non nude, nec ut sonant, simpliciter sed plenius, & cum nonnulla extensione accipienda quandoque & intelligenda esse sciamus. Quapropter veriore esse sententiam existimo, privilegia suo modo extensionem omnino admittere.*

§. XVI.

Illud tamen ante omnia monendum est, dum privilegiorum Extensionem statuo, me non illud intendere, aut evincere velle, ac si cuilibet pro lubitu & arbitrio suo privilegia semper & ubique in infinitum, & absque justo modo extendere permissum sit; verum hoc tantummodo assero, privilegia aliquando ad alias causas & casus, nec non personas produci posse, quando autem & quomodo, ac quatenus extensio facienda sit, non ex nostro ingenio, sed ex ipsorum Principum Legibus, praeceptis, Judicio & auctoritate colligere oportet; siquidem Regula & Leges pro extensiva Privilegiorum Interpretatione tenendae nihil aliud, quam ipsa principum iussa & voluntatem praesentant. Itaque mens ac propositum privilegii & concedentis ita ob oculos ponenda sunt, ne ultra modum privilegia exaggerando contra voluntatem conditoris explicentur. *arg. L. 4. ff. de Vacat. §. excus. mun. L. 8. ff. de offic. Praesid.* Ut igitur sententiam meam, quam de privilegiorum extensione proposui, paulo clarius exponam, illam contra voluntatem superioris ultra verborum proprietatem ad personas & casus, in iis non expressos, nunquam admittendam esse, sed tunc demum procedere censeo, quando alii casus & persona ad quas extensio formatur, virtualiter & implicite in privilegio comprehenduntur, etsi verbis clare non exprimentur, & intuper in illis par, eadem, vel major ratio reperitur; qua de causâ DD. huiusmodi Extensionem admittentes, eandem non simpliciter talem, sed *Comprehensivam Interpretationem* appellare consueverunt; *Vir-*  
tua-

B

tualiter autem illud comprehendi existimatur, quod vel continetur in altero tanquam pars, vel illi est accessorium ex communi sensu, consuetudine, aut dispositione Juris, vel arctè connexum per se, aut ex communi persuasione, vel sine quo privilegium alias redderetur omnino inutile, & nullius plane effectus, aut absurdum exinde sequeretur. Proinde omnia illa Juris loca, quæ superius contra Privilegiorum Extensionem adducta sunt, de iis tantum casibus, qui nec expresse, nec tacite privilegio includuntur, accipi possunt & debent; Prout ex infra dicendis pluribus apparebit.

§. XVII.

Ex quo suas sponte consequitur, privilegium quantumvis favorabile, & mere gratiosum, propter paritatem & similitudinem, vel identitatem rationis de persona in personam, vel de casu in casum, in eo non expressum, ultra verborum proprietatem extendendum non esse. Inter Paritatem autem & Identitatem rationis alioquin hac differentia intercedit, quod Identitas dicat omnimodam paritatem rationis absque formali discrimine in uno ac altero: E contra paritas rationis sit tantum convenientia secundum quid, & ex aliqua parte; Unde par ratio censetur, quando rationes quidem sunt diversæ, similitudinem tamen aliquam & æqualitatem inter se continent: Eadem vero ratio judicatur, quando non tantum est similitudo, sed omnimoda convenientia rationis in pluribus materiis vel casibus æqualiter relucet. Tametsi vero Lex communis ob solam rationis paritatem ad alium casum rarius extendi possit, quia cum qualibet vel minima dissimilitudo sufficiat, ad reddendam disparitatem inter casum unum & alterum, eaque sit facile repiribilis, periculosum erit, ex hac sola ratione Legem ab uno casu ad alterum ampliare; est ubi rationis identitas deprehenditur, quæ non solum est adæquata quoad omnes casus, sed etiam quasi intrinseca, seu cum necessaria omnium casuum connexionem, ut contra justitiam, prudentiam, vel rationem pugna-

pugnaret, unum casum sine altero præcipere vel prohibere, tunc non tantum in Lege communi favorabili, verum etiam in odiosa, exorbitante & pœnali procedit illud tri-  
viale: Ubi est eadem ratio, est eadem Legis dispositio. *L. 13. ff. de LL.* cum enim credere non liceat, Legislatorem voluisse Legem injustam, imprudentem, inutilem, aut irrationabilem condere, optimo Jure præsumitur, eundem voluisse sub casu expresso casum alium, identitate rationis, connexum comprehendere; Hinc illa Juris dispositio, qua usurariis prohibet Testamentum condere, *Cap. 2. de Usuris. in 6.* etiam ad prohibitionem Codicilli, & ad donationem mortis causâ extenditur, licet alias in odiosis hæc ipsa Testamenti nomine non veniant: pariter si Magistratus justam ob causam v. g. propter metum obsidionis, vel annonæ caritatem, subditis Edicto pœnali injungat, ne frumentum è provincia exportent, & extraneis vendant, illi, qui frumentum sub certâ pœnâ evehere prohibiti sunt, nec farinam vel panem sub eadem pœna extraneis vendere poterunt; licet enim appellatione panis non veniat frumentum, & Edicta pœnalia, nec non libertatem commerciorum restringentia, strictè sint interpretanda, quia tamen in casu proposito identitas rationis subest, & præceptum principis alias redderetur inutile, ac sine effectu, ideo prædicta extensio omnino est admittenda. *PERR. SVRD. Decis. 139. n. 6. RHET. Diss. de jur. circa frum. C. 2. n. 58. § 78. CARPZOV. Decis. 158. n. 42.*

§. XVIII.

Ille tamen quoad Leges communes ex sola paritate vel identitate rationis desumptus extendendi modus in privilegiis ita non procedit; Nam tota vis privilegii pendet ex intentione & voluntate concedentis, quæ per verba exprimitur, non verò ex ratione; & ratio similis, eadem, vel major posset quidem esse motivum, ut concedens idem privilegium etiam concedere valeat aliis personis, vel ad alios casus extendere, sed minime efficit, ut de facto concesserit vel extenderit: Unde procedit illa Re-

gula 74. in b. quod alicui gratiosè conceditur, trahi non debet ab aliis in Exemplum. Sic si Titio ob ejus merita in Rescripto expressa, concedatur privilegium non solvendi Decimas, vel Dispensandi; non sequitur, hæc privilegia etiam alteri, qui paria, vel eadem, vel etiam majora habet merita, competere. Quapropter eorum sententiam comprobare nequeo, qui privilegia Militum promiscue ad Doctores, Advocatos, & Clericos extendere nituntur, cum pateat satis exorbitantia à Jure communi militum esse privilegia, ut nonnihil in ipsis etiam militibus sint restringenda, multo minus sine omni Principis autoritate ad diversum omnino & amplissimum hominum genus violenter transferenda; Si enim Imp. dictis personis privilegia militum communicare voluissent, vel in uno loco aut Lege id jussissent aut attigissent; Et quamvis pro Advocatis maxime jactetur *L. 14. C. de Advocat. divers. Judic.* Illa tamen serio non dicit, eos esse tales milites, quales illa Leges, quæ militum privilegia continent, requirunt. Nec porro illorum opinionem sequi possum, qui privilegium Fisci, quod in bonis primili, id est, ejus, qui militarem annonam administrat, eidem cum tanta prerogativa competit, ut etiam dos uxoris, & bona liberorum, quantumvis hæredes patri non existant, in subsidium obligata sint. *L. 4. C. in quib. caus. pign. L. 1. L. 3. L. fin. C. de principilo.* cum ANTON. PERGRIN. *de Jure fisci. lib. 1. tit. 6. n. 46.* ad bona Officialium, pecunias principi debitas colligentium extendunt, & alia varii generis privilegia ad diversos casus promiscue porrigunt.

§. XIX.

Ut igitur appareat, quemadmodum privilegia in sensu superius proposito rectè & legitime extendi valeant, ante omnia observanda est illa Juris utriusque Regula, quæ favores & beneficia ampliare, & odia restringere præcipit. *C. 15. de R. J. in b.* Cum itaque à Concil. Trident. *Sess. 24. C. 6. de Reformat.* Episcopis collata sit specialis facultas, sive privilegium dispensandi in omnibus irregularitatibus &

suspens-

suspensionibus ex delicto occulto provenientibus, excepta ea, quæ oritur ex homicidio voluntario. & exceptis aliis deductis ad forum contentiosum: hoc ipsum privilegium tanquam merum favorem præferens, & in nullius præjudicium cedens extendere oportet. *Cap. 16. X. de V. S. Cap. fin. X. de Simon.* ut non tantum competat Episcopo, etiam nondum consecration, sed & ad Capitulum sede vacante, *Cap. Unic. de Major. & obed. in 6. REIFFENSTVEL. X. Ne Sed. vacant. n. 54. & 57.* imò ad Abbates quoque, aliosque Prælatos, propriam Dicecesim & in ea Jurisdictionem Episcopalem habentes porrigatur: Cum enim hic non de Ordine Episcopali, sed tantum de jurisdictione agatur, nihil interest, an quis Episcopus sit, vel Episcopalem Jurisdictionem habeat. *AVILA de Censur. p. 7. Disp. 10. Dub. 6. ENGEL. X. de Sent. Excommunic. n. 148.* Ex quo ulterius colligitur, quod Episcopi vigore prædicti privilegii etiam cum illegitime nato ad ordines Majores & beneficia curata, nec non dignitates dispensare valeant, quando illegimitas est occulta; siquidem illa pariter oritur ex occulto delicto, non quidem liberorum, sed parentum; proinde constitutio Conciliaris, utpote mere favorabilis, non est ad delictum proprium coarctanda, alias hoc absurdum sequeretur, quod melioris conditionis sint, qui per delictum proprium occultum se ipsos reddunt irregulares, ac qui per alienam culpam eodem impedimento innodantur. *BARBOSA J. E. V. Lib. 1. cap. 11. n. 156.* Ex eadem planè ratione Episcopi dispensare possunt cum bigamis, non tantum quando Impedimentum bigamiæ ex occulto crimine descendit, verum etiam, cum sine delicto contrahitur, uti si quis duo matrimonia successively contraxisset, vel viduam, aut ab alio occultè corruptam duxisset. Nec minus ista Episcopis collata facultas ad eam irregularitatem extendenda est, quæ provenit ex homicidio voluntario, sed justo & occulto, utpote quod publica auctoritate in judicio sanguinis, aut bello justo factum. Quia per homicidium in Tridentino *dict. loc. exceptum*, videtur intelligi injustum & illicitum, ac perfectè

voluntarium. SCHMIEB. *Juris pr. Canon. civil. L. r. Tr. 4. C. 6. Sect. 4. n. 470.* ENGEL. *X. de Major. & obed. n. 50.*

§. XX.

Quodsi cuidam alteri per speciale Rescriptum conferatur generale privilegium dispensandi, istud tanquam juri communi non repugnans, & merè favorabile, amplam interpretationem sive extensionem similiter recipiet; Atque hinc indulta potestas dispensandi in votis, etiam extenditur ad juramenta pia, DEO facta: item ad votorum commutationem; nam dicta juramenta pia comprehenduntur vel formaliter vel saltem virtualiter sub verbo *vota*, uti & *commutatio* votorum, tanquam minus, comprehenditur in verbo *dispensatio*. Sic porro, qui potest dispensare in affinitate, etiam potest in publica honestate. Si tamen alicui potestas dispensandi non sit universaliter delegata, sed particulariter tantum cum una vel pluribus personis determinatis, non tam concessa videtur facultas dispensandi, quam actualis dispensatio sub conditione, si delegatus rem ita se habere compererit, uti in supplicatione fuit proposita, consequenter erit stricte interpretanda. PICHLER. *X. de Constitut. n. 87.*

§. XXI.

Si Clericus a Papa licentiam sive privilegium impetret, ad profanas vel pias causas testandi de bonis prospectu Ecclesie acquisitis, controversi video: Utrum hujusmodi privilegium ad unum duntaxat testamentum coarctandum, vel ad secundum & ulteriora sit extendendum? Nam, cum Clerici juxta Canones de redivibus suorum beneficiorum testari nequeant, *Cap. 7. & 12. X. de Testam. Cap. 1. & 3. X. de pecul. Cleric.* solent subinde à summo Pontifice, qui supremam habet contra Jura dispensandi potestatem, ad hoc privilegium impetrare; quale privilegium de redivibus prospectu Ecclesie acquisitis, tam ad causas profanas, quam pias testandi concessit anno 1691. Innocentius XII. Jodoco Edmundo, Episcopo Hildesienfi, quod refert STRYK. *in appendic. ad Tract. de Causel. Testam. in fin.* In hac Controver-

fia

fiā mihi verius videtur, eam testandi facultatem, ā Papa concessam, non esse restringendam ad primum testamentum, sed juxta naturam actus, ad quem conceditur, ita extendendam, ut pro arbitrio primum testamentum mutari, revocari, & aliud condi possit, adeoque ut simpliciter Clericus valeat testatus decedere; siquidem qui illimitatam impetrat testandi facultatem, intelligitur recipere legitimam & consuetam: Hęc autem est legitima & consuetā testandi facultas, ut testamentum factum revocari, mutari, & tolli possit testamento posteriore; Deinde quolibet dispositio debet intelligi secundum subjectam materiam, quę hic exigit, ut mutari possit testamentum usque ad supremum vitę exitum; eodem igitur modo intelligi & extendi debet facultas testandi ā Superiore concessa. Ulterius talis licentia ita extendenda est, ut non expiret morte concedentis summi Pontificis; eo quod gratię morte concedentis, etiam re integra, non expirent. *Cap. 76. de prebend. in 6. Cap. 16. de R. 1. in 6. Cap. 9. X. de Offic. et pot. Jud. deleg. in 6. ENGEL X. de Testam. n. 9. Dissentit COVARRUV. in Cap. 7. X. de Testam. n. 21. aliique relati ā FACHIN. Lib. 5. Controu. Cap. 99. et 100. praterea si Clerico concedatur potestas faciendi testamentum, illa sic amplianda est, ut eidem quoque censeatur concessum donare mortis causa, facere Codicillum, & Legata relinquere: cui enim majus conceditur, minus quoque, si sit in eodem genere, pręsumitur esse concessum. PICHLER. X. de Constitut. n. 75. Quę de Clerico dicta sunt, ad eundem plane modum intelligi possunt de impubere, aliisque de Jure civili testari prohibitis, si facultatem testandi ā principe per Rescriptum impetrent. VITRIAR. in Jur. Publ. Lib. 3. tit. 17. n. 111.*

§. XXII.

Ex eodem principio, quod favores & beneficia principum plenissimam interpretationem recipiant, porro deducitur, quod privilegium absolvendi ab omni censura, Sedi Apostolicę reservata, alicui datum, extendi debeat ad eam Censuram, quę in futurum reservabitur. GLOSSA. in *Cap.*

Cap. 22. X. de privileg. Item immunitas à tributis cuidam in genere concessa etiam ad bona futura, & postea quaesita proroganda est. *arg. diff. Cap. 22. de privileg. vi* cuius privilegium non solvendi decimas, non modo eximit à decimis de prædiis possessis, sed etiam in futurum acquirendis. CARPZOV. p. 2. C. 6. def. 8. in fin. Quod procedit si privilegium tale generatim & indefinite sit concessum: nam si expresse de presentibus solum possessionibus & casibus loquatur, tenor ejusdem strictè est observandus, cum in apertis supervacanea sit interpretatio. LAYMAN. Lib. 5. Tract. 6. c. 10. n. 20. Sed quari solet: si cuidam à principe castrum aliquod in feudum detur cum Jurisdictione, in Literis investitura generaliter expressa, an inferior tantum, vel an omnis, superior etiam, sive merum imperium inclusum censeatur? Certe si ex dispositione Juris civilis ea quaestio veniret resolvenda, dicendum foret, omnem Jurisdictionem in concessione tali esse comprehensam; quia sub Jurisdictione late sumpta merum imperium continetur, & beneficia principis latissimè interpretanda sunt. CARPZOV. p. 2. C. 40. def. 6. MEV. p. 4. Dec. 290. At quoniam principes nostri, quando agitur de Regalibus & publicis eorum juribus, parcissimi esse praesumuntur, imprimis propter praesudicium Reipublicæ, cujus interest, ne Jura publica ita promiscuè privatis permittantur, proinde verius videtur, in ejusmodi concessione verba strictè, & de inferiori tantum Jurisdictione esse intelligenda. STRUV. S. 7. F. Ex. 6. tb. 18. BRUNNEM. ad L. 3. ff. de Constit. princ. n. 6. Nisi (1) omnimoda & plenissima Jurisdictio cum castro concedatur. Germ. mit allen und jeden Gerichten. Vel (2) ex voluntate concedentis vel moribus locorum aliud appareat, sive (3) castro merum imperium jam antea cohaerit: eoquod jura rei semel coherentia successorii quoque concessa censeantur, nisi appareat hæc esse adempta. STRYK. U. M. ff. de Jurisdic. §. 13.

## §. XXIII.

Utrum verò habens privilegium generale colligendi de-



decimas in certo districtu, illud etiam ad decimas Novalium, i. e. prædiorum noviter ad culturam redactorum extendere poterit? Si Laicus ejusmodi privilegium habeat, negative decidit ipsum Jus Canonicum in *cap. 25. X. de Decimis*. quod eodem modo dicendum videtur, etsi persona Ecclesiastica sit, cui privilegium decimandi à summo Pontifice concessum est, *arg. dict. cap. 25. & 29. X. de Decimis*. quia privilegium percipiendi decimas, quæ de Jure debentur parochæ, est contra Jus commune, & Jus tertii, adeoque odiosum, & non extendendum, alioquin & laicis indefinitè datum ad Decimas Novalium porrigendum foret. Si *opponas*: privilegium non solvendi Decimas indefinitè & generaliter concessum extendi ad Decimas de futuris prædiis & novalibus. *Cap. 22. X. de Privileg.* Ergo etiam privilegium percipiendi decimas erit porrigendum ad decimas Novalium. *Repono*: Consequentiam esse negandam: Si quidem primum privilegium, utpote negative conceptum, latius patet, quam alterum positivè concessum, quia illud absolutam negationem continet, quæ vera minimè foret, si ex aliquibus fundis, quales utique novalia etiam sunt, privilegiatus aliquid dare deberet; Hoc verò absolutam affirmationem non involvit, ut possit colligere omnes Decimas, quæ etiam nondum existunt: sed vera adhuc est, quamvis ad Decimas actu debitas restringatur, privilegium autem ex parte odiosum ad omnia, quæ in verâ & propria significatione denotat, non vero ad illa, quæ salvâ veritate excludi possunt, extensionem patitur.

§. XXIV.

Præterea privilegium absolutum, merè gratiosum, & nemini prorsus nocivum, etiam extra territorium concedentis rectè extenditur, ita ut ubique locorum ejusdem usus privilegario sit licitus. Hinc, qui ab Episcopo ob specialem & personalem causam impetrat privilegium non sejunandi, vel libros prohibitos legendi: is ubique, & extra ditionem privilegiantis eodem uti poterit, utpote cum obligatio juris communis in uno territorio relaxata, cen-

D

teatur

featur relaxata pro omni loco, pro quo Jus commune la-  
tum est, praesertim cum in lege communi Episcopus non  
nisi ex delegatione Papae dispense; at si Papa dispensaret,  
dispensatio, & privilegium contra Jus commune conce-  
sum valeret in omni loco; ergo etiam valet, si dispense  
Episcopus vicem Papae gerens. Nec est, quod dicas, ju-  
risdictionem non extendi de territorio in territorium.  
*Cap. ult. de constitut. in b.* adeoque nec usum privilegii à Ju-  
risdictione provenientiem. Nam hoc solum verificatur  
de Jurisdictione contentiosa, non autem voluntaria, cujus  
actus est privilegii datio, & semel exercita effectum habe-  
re potest extra territorium concedentis. *PIRHING. X. de  
Privileg. n. 128.*

§. XXV.

In genere alias quaeritur: An finita causa privilegii hoc  
ipsum cesserit, vel an ad illum etiam casum, quo privilegii  
causa non durat, extendi valeat? ad quod cum Distinctio-  
ne Respondetur: Nam si privilegii, Juri communi con-  
trariantis, aut tertii gravamen continentis, cessat causa fi-  
nalis contrarie, i. e. si privilegii usus propter circumstan-  
tiarum mutationem evadat injustus, aut in damnum alte-  
rius cedere incipiat, privilegium illud definit. *Cap. 60. X.  
de Appellat.* Unde Clericus qui obtinuit privilegium non  
residendi, tenetur ad residentiam, si ex absentia ejus Ec-  
clesia pateretur damnum in ministeriis sacris ob defectum  
Ministrorum. *Cap. pen. X. de Cleric. non resid.* item privile-  
gium decimandi Religiosis vel aliis concessum, vel ex toto  
vel ex parte perditur, quando successu temporis paro-  
cho non remanet sua congrua sustentatio. *Cap. 2. §. 2. de  
decimis in b.* At si causa cesset solum negative, ut usus non  
fiat injustus, sed sola concedendi ratio non amplius exi-  
stat, privilegium non amittitur; Hinc qui per concessio-  
nem specialem obtinuit plura beneficia, ex causa, quod  
tempore concessionis alterum non fuerit sufficiens, ad  
congruam sustentationem, licite istud retinet cum priori,  
et si postea ejus redditus ita sint aucti, ut ad congruam sus-  
sten-

stentationem sufficiant. Similiter privilegium Juris decem-  
 mandi, Religiosis ob inopiam & indigentiam olim conce-  
 sum, non expirat, tamen cum tempore ad pinguio-  
 rem fortunam pervenerint. *Arg. C. 16. § 73. de R. I. in 6. ZOES. X.*  
*de privileg. n. 32. § 33.* Ex dictis colligitur nullum privile-  
 gium contra salutem reipublicæ in casum extrema neces-  
 sitatis extendi posse: utpote quem superior concedens  
 semper excepisse præsumitur. Hinc etiam Constitutio-  
 nes Imperii neminem, quocumque Immunitatis privilegio  
 munitum, à turcicis contributionibus immunem esse vo-  
 lunt. *Recess. Imper. de anno 1524. §. und nemlich sollen 27.*  
*item de anno 1582. §. und demnach sollen II. nec non de anno*  
*1594. §. 12. PVENDORF. de J. N. § G. lib. 5. Cap. 12. GAIL. lib.*  
*2. Obs. 52. n. 26.*

§. XXVI.

Quoad extensionem privilegii à loco ad locum disce-  
 ptari video: An facultas consecrandi Altaria & Ecclesias  
 pro suo districtu Abbati per privilegium pontificium conce-  
 ssa, ex licentia & commissione Ordinarii ad alias quo-  
 que Ecclesias extendi possit? Ratio dubitandi est, quia hoc  
 ipso, quod Prælati in privilegio accepit potestatem restri-  
 ctam ad suas Ecclesias, in aliis nullam habet, cum pote-  
 stas limitata non contineat ea, quæ sunt extra limitationem,  
 & per consequens Abbas sic se habet respectu illarum, ac  
 si potestatem non haberet, neque ex commissione Ordina-  
 rii eam obtinere potest, quandoquidem noti Juris est,  
 quod potestas consecrandi Altaria, ab Episcopo committi  
 nequeat alteri, eandem potestatem non habenti. *BARBOS.*  
*J. E. U. lib. 1. c. 11. §. 2.* Nihilominus potior est affirmati-  
 va, quæ probatur à pari: Nam quamvis potestas confe-  
 rendi ordines Minores, Juris privilegio Abbatibus indulta,  
 tam de jure communi, quam in Trident. *Sess. 23. c. 10. de*  
*Reform.* ad proprium Monasterium, & subditos Regulares  
 restricta sit, attamen Abbates in aliis locis, & non subdi-  
 tis etiam secularibus, cum licentia Ordinarii Ordines Mi-  
 nores rectè & licitè conferre possunt. *FAGNAN. in Cap. 1. X.*

*de Supplend. neglig. Pralat.* Ergò & idem in presenti casu fieri poterit. Neque obstat ratio dubitandi: Etenim potestas ordinis nullam quoad se recipit limitationem, & quoad effectum imitatur potestatem Episcopalem, quæ est individua, & pro parte dari, ac pro parte tolli non potest, sed debet S. Pontifex respectu rei, de qua dat, eam vel dare totam, vel totam tollere, hinc quoad valorem est universalis, quoad usum verò licitum, & ratione Jurisdictionis est restricta, quia taliter privilegiatus autoritate propria pro alienis Ecclesiis consecrationes facere nequit. *ENGEL. de privileg. Monaster. privileg. 49. in fin. KÖNIG. X. de consecrat. Eccl. l. 1. n. 6.*

§. XXVII.

De privilegijs Realibus certum est, quod de persona in personam, de re ad rem, & de loco ad locum suo modo transire & extendi soleant; siquidem imprimis, quia rei, dignitati, vel officio immediate inhærent, in omnes personas redundant, qui in eam rem, officium vel dignitatem succedunt, sicque eorum exercitium ab una persona in aliam transit. Deinde si res aut locus, veluti Ecclesia, Monasterium vel Civitas destruat ab hoste, aut casu diruatur vel comburatur, cum spe readificationis, tunc omnia privilegia retinet, & in restitutâ re illa reviviscunt; Idemque est, si superioris auctoritate Ecclesia, Civitas, Academia, vel Confraternitas transferatur ad alium locum, nam neque tunc privilegia non ratione situs, sed ipsi Ecclesiæ, aut Civitati directe concessa amittuntur, verum una cum eadem ad alium locum extenduntur. *Can. 43. Caus. 16. q. 1. Cap. 2. X. de Religios. Dom. PIRHING. X. de privileg. n. 198.* Illud aqûe certum est, quod Privilegia cuicdam Civitati, Collegio aut alteri corpori politico concessa, cum personis singularibus, pro tempore collegium constituentibus, non extinguantur, sed ad omnes in eodem succedentes & posteros extendantur. *L. 4. §. 3. ff. de Consib.* Si querere lubet: An usus Privilegij, Collegio cuiusdam concessi, extendi possit ad singulos? Respondeo: vel

vel concessum est sub nomine colectivo cum expressione ipsius Collegii, puta Universitati Erfordienfi: vel directe personis, quæ sunt ex tali Collegio, puta Studiosis Universitatis Erfordienfis; Illo modo censetur concessum collegio qua tali, secundum quod civiliter facit unum corpus, non vero personis singularibus, ex quibus tale corpus componitur, ita ut non possint uti privilegio quales, sed tunc tantum, cum suum corpus collegialiter representant. Hoc modo concessum, singulis separatim competit, illoque uti possunt singulares persona, independenter una ab altera, & sufficit esse incorporatas tali collegio. KÖNIG. X. de Privileg. n. 16.

§. XXVIII.

Sed & privilegia personalia, quanquam cum personis extingui, & ad hæredes non transire, neque personam egredi dicantur in *L. 68. §. 169. ff. de R. I. cap. 7. de R. I. in 6. L. 1. §. 2. ff. de Constit. Princip.* Nihilominus Extensionem non omnino effugiunt. Inprimis enim quoties ipse, cui datum est privilegium, non posset eodem frui, nisi ad alios vis ejus porrigatur, toties privilegium ad alios quoque extenditur. *Arg. L. fin. C. de Usur. rei Jud.* Ubi quadrimestres induciæ condemnatis data ex ea ratione ad fidejussores porriguntur, ne, si isti solvere compellantur, ipsi quoque Reum ad solutionem compellant, & ita condemnatus nullum sentiret fructum humanitatis Imperatoriæ; perinde ut usus ædium mulieri relictus ad maritum extenditur. *§. 2. Inst. de usu & habit.* ne ei matrimonio carendum esset, cum uti vellet ædibus. BRUNNEM. ad cit. *L. fin. C. de Usur. rei Jud.* Hinc Privilegium singulari personæ concessum, ut tempore interdicti Divina celebrare valeat, vel audire, ad ejus familiares domesticos extenditur. *Cap. 11. de Privileg. in 6.* Et si cui detur privilegium recitandi matutinum à prandio, & is v. g. propter imbecillitatem oculorum indigeat socio, etiam extenditur ad socium. Sic Assessoribus & Consiliariis suorum Magistratuum privilegia competunt. *L. 11. C. de Adfess.* item privilegium alicui datum,

tum ad comites quoque ejus, & ad omnes ministros, ac universam familiam extenditur, quatenus illis carere nequit, & sine participatione sui privilegii eis uti non potest. *Arg. L. pen. ff. de Servit. Legat. L. 207. ff. de V. S. porro Legatorum immunitas ad famulos & comites porrigitur. L. 41. ff. de Excusation. L. 7. ff. ad Leg. Jul. de vi publ. & salvus conductus Domino concessus comprehendit etiam personas ad servitium necessarias. Privilegio etiam immunitatis, quod Princeps habet in bonis suis, gaudent Colonus & Emphyteuta. L. 10. C. de Excus. Muner. Sic quoque Militum famuli, nec non Medici, qui per absentiam suam laesi sunt, non secus, ac milites ipsi, in integrum restituantur. L. 32. & L. 33. §. 2. ff. Ex quib. caus. major. LAVTERB. Colleg. ff. de Constit. princ. §. 29. & 30.*

§. XXIX.

Ex eadem ratione porro sequitur, quod exceptio personalis v. g. competentia, certis personis, utpote parentibus, marito, socero, socio, donatori &c. in vim privilegii competens, etsi soli debitori principali prodesse, nec ad heredem aut fidejussorem extendi dicatur in *L. 7. pr. ff. de Exception. L. 24. & 25. ff. de Re jud.* eoquod concernant ipsam personam tantum, & conditionem certam v. g. reverentiam aut singularem humanitatem, quæ non est eadem in harede, aut fidejussore; Nihilominus tamen fidejussor in judicio conventus, poterit id ipsum principali debitori denunciare, qui interveniendo, & sua interesse probando, exceptionem suo vel procuratorio nomine interponet, siquæ efficiet, ut exceptio personalis, quæ directe fidejussori prodesse non poterat, per indirectum & consequentiam in fidejussorem extendatur, ne scilicet eadem ipsi principali reddatur inutilis, utpote à quo alias fidejussor, coactus solvere, solidum repeteret. *L. 10. §. pen. ff. Mandat. quod idem eodem plane modo de exceptione Moratoria defendi potest. SCHAMBOG. & HOPP. ad §. fin. Instit. de Re-  
plicat.*

§. XXX.

§. XXX.

Specialiter vero privilegia Dignitatis, Nobilitatis, Fori, & pleraque alia maritorum extenduntur ad uxores. De dignitate & nobilitate perspicui textus extant in *L. 8. ff. de Senator. L. 13. C. de Dignitat.* Et ideo, si Princeps, aut Comes Imperii ducat inferioris conditionis uxorem, statim dignitatis suæ radios in hanc derivat, ut Principissa, Ducissa, & Comitissa, Durchleuchtige, Hochgebohrne, salutari debeat; nisi forte matrimonium sit inæquale contractum, quod Politici & Fendistæ ad *Morganaticam* nuncupant, & nihil aliud est, quam Matrimonium viri Illustris cum fœmina inferioris conditionis, eo pacto initum, ut uxor & liberi inde nati dono nuptiali (quod *Morgengaba*, & corruptè *morganatica* dicitur) vel aliâ certâ portione, tempore sponsalium destinata, sint contenti, & à cæteris bonis avitis ac paternis, una cum titulis, dignitatibus & insignibus abstineant. 2. F. 29. Quamvis enim uxor alias, etiam invito marito, dignitatem maritalem sibi vindicare possit, attamen si ipsa per tale pactum Morganaticum Juri suo renunciaverit, quod nulla Naturalis, Canonici ac Civilis Juris ratio hoc passu vetat, non patebit ipsi postea pro lubitu dignitatis participatio. MYLER ab Ehrenbach in *Gamol. princ. Imp. cap. 6. n. 12. § 13.* GROTIUS de *I. B. § P. l. 2. c. 7. § 8.* STRUV. *S. I. F. cap. 9. lb. §. n. 8.* Cæterum illa Nobilitas, quam Maritus transfundit in uxorem, ex nativitate plebejam, in quibusdam locis, præcipuè in Capitulis Ecclesiarum Cathedralium & aliarum, quoad descendentes non attenditur, sed requiritur, ut nobilitas Majorum Maternorum etiam doceatur. Interim ex patre nobili & matre plebeja procreatus verus nobilis manet, utut prærogativæ illius particularis non fiat particeps; STRYK. *U. M. ff. de Senator. §. 7.*

§. XXXI.

De fori, & reliquis mariti privilegiis, quod etiam ad uxorem extendantur, similiter res est expedita juxta *cit. L. 13. C. de dignit. L. 6. § ult. C. de Professor & Medic.* Proinde

inde uxor Principis aut alterius Status Imperii ex mediata sit persona immediata Imperii, saltem si sit extra potestatem, vel territorium mariti constituta. Arg. *L. 19. ff. de Jurisdic.* siquidem illud mihi verius esse videtur, quod principi in suam uxorem Jurisdictio competat, ita ut eam tam in civilibus, quam criminalibus causis judicare possit; eoquod Uxor per nuptias in Mariti sui territorium transeundo ibidem domicilium constituat, quo ipso aliquis Domini territorialis sit subditus. ROSENTHAL. *de Feud. C. 6. Concl. 85. n. 9.* deinde ipsa Augusta subdita est Imperatoris, arg. *L. 31. ff. de legib. & coram Imperatore conveniri potest.* LYMNÆ. *ad d. B. §. fin. Obs. 4.* Cur ergo Principissa in sui Principis territorio foret melioris conditionis, & ab ejus Jurisdictione sese vellet eximere? cum vulgatum sit, quod quilibet Princeps in suo territorio tantum possit, quantum Imperator in Imperio, nisi quid nominatum inveniatur exceptum. GAIL. *de pac. publ. lib. 1. c. 6. n. 10.* Contrarium quidem defendit MYLER ab Ehrenbach in *Gamol. person. illustr. c. 7. n. 22.* ex duplici hac ratione: (I.) quia uxor per conjugium non serva, sed socia effecta est, *L. 1. ff. de Ritu nupt. L. 4. C. de Crim. expil. hered. & par in parem non habet imperium. L. 4. ff. de Recept. qui arbit.* (II.) Quia uxor Principis ac Status Imperii æque, ac ille, immediata persona Imperii esse censetur. CRAVET. *Consil. 289. n. 5.* Verum Resp. ad I. quod tantum domesticæ curæ, non etiam maritalis Imperii, & Jurisdictionis publicæ socia sit, nam & in societate nuptiali politica est socia sui mariti, & tamen maritus propterea sua in uxorem potestate non privatur; deinde par in parem non habet Imperium in iis, in quibus paritas consultit. & nisi alter alterius Jurisdictioni sese subjecerit, quod nostro in calu fecmina nubendo fecisse existimanda est. Ad II. Resp. quod immediata persona non nisi extra potestatem & territorium mariti, aut non nisi per ejusdem gratiosam concessionem esse possit. VITRIAR. *in Jur. publ. Lib. 3. tit. 17. §. 9. §. 10.*



## §. XXXII.

Dubium adhuc occurrit: An uxor mariti sui foro privilegiato gaudeat in ea causa, qua alteri ante matrimonium erat obligata? quod affirmandum esse puto, quia nubendo indistincte mariti sui forum sortitur. *L. 13. C. de Dignit.* nam juxta *L. 7. ff. de Judic.* miles ante susceptam militiam, in foro civili jam conventus, Jus revocandi non habet; ergo à contrario privilegio fori militaris gaudebit, si quidem ante militiam debitor extitit, nondum autem in Jus vocatus fuit; Igitur idem de uxore erit dicendum, quod in libris ante nuptias jamdum pendentibus beneficio mariti sui quidem non utatur, *L. 19. ff. de Jurisdic.* bene tamen in iis, qua postea inferuntur. Si *ingeras*: grave esse creditori, in alieno foro litigare; *Regero*: aequè grave esse mulieri in illo foro respondere, in pari igitur causa femina jus commune pro se habet, ut actor forum rei sequatur. *FRANZK. ad tit. ff. de Judic. n. 12.*

## §. XXXIII.

Caterum uxor familiam, dignitatem, nobilitatem, aliaque privilegia in eam extensa, mortuo etiam marito retinet, quamdiu statum viduitatis honestè servat. *L. 22. §. 1. ff. ad Municipal. L. fin. C. de Incol.* quia dum vidua est, stare & esse in matrimonio intelligitur, arg. *L. fin. C. de Bon. mater. 13. n. 9.* neque novum est, si quando ex alterius persona jus alicui quaesitum sit, illud durare, licet persona, à qua habetur, sit extincta. *L. 10. §. fin. ff. de Bonor. possess. contr. tab.* Quamobrem etiam in viduis certorum Collegiorum & opificum quotidie videmus, eas in collegio manere, & artificium mariti per idoneos ministros exercere. *MEY. p. 8. Decis. 52.* At, quamprimum alteri nupsit, prioris conjugis prerogativas & privilegia amittit, ac posterioris mariti fortunam amplectitur. *Novi. 22. Cap. 36. L. fin. C. de Incol.* nisi speciali principis indulto retentionem veterum Jurium impetaverit. *L. ult. princ. ff. de Senator.*

E

## §. XXXIV.

§. XXXIV.

Disquiritur tamen, si vidua, vel filia Regis aut Principis inferioris conditionis marito nubat, an priorem statum & conditionem amittat, & praesentis mariti titulo contenta esse debeat? Quod quidem affirmandum videtur per *L. §. ff. de Senator. L. 10. C. de Nupt.* verum rectius cum *STRYK. U. M. ff. de Senator. §. 9.* distinguendum est inter praerogativas *connatas, & participatas.* i. e. quae per natiuitatem non transferuntur in liberos, sed cuius participes fiunt, dum sunt pars familiae paternae, aut maritalis. Et has perdit, quia dum nuptias pangit filia v. g. Consulis, Consiliarii, aut Ministri Principis, e paterna familia exit, & Mariti sortem sequitur, nec vidua dignitatem ex matrimonio priori paratam simpliciter sibi acquisiuit, sed tantum per participationem conjugalem, ac quousque prioris mariti memoriam non deponit, habet; Hinc quia continuatio dignitatis in viduitate, non proprio Jure, sed *LL.* beneficio & extensione ipsi competit, eadem iteratis nuptiis cum inferiore expirabit. *L. 10. C. de Nupt.* Illas vero retinet, cum sanguini, quem foemina per matrimonium non exiit, cohaerere videantur. *Dict. L. 10. C. de Nupt. L. 1. C. de Dignit.* prout mores Europae commonstrant, dum v. g. filia Regis Ducis vel Comiti nupta, nihilominus Regalis, *Zhre Königl. Hoheit:* & filia Principis inferiori copulata, tamen Principissa, *Zhre Durchleucht/* appellari solet. Atque ita Joanna Austriae Francisci Medici Toscani Ducis uxor, dum viveret, Regina Joanna vocata fuit: & Matildis Alphonso I. Lusitaniae Regis Filia, Philippi Austriae Comitis uxor titulum Reginae seruauit. *MYLER. in Gamol. person. illustr. c. 5. n. 25. SPRINGSF. de Apomag. c. 3. n. 13.*

§. XXXV.

Præterea privilegia parentum extenduntur ad liberos. *L. §. ff. de Senator. L. 11. C. de Dignit.* Hinc Jure Romano etiam singulares Senatorum praerogativa in ipsos liberos propagabantur, cum iniquum censerent Romani, paternos honores invidere filiis. *diff. LL.* quoad Germaniae praxin autem

tem asserendum est: Ubi Senatoria, vel alia Dignitas est  
 merè personalis, ibi eadem liberis quoque prodest, sed per  
 consequentiam tantum, & vivo solum patre, vel quamdiu  
 familiam non mutant. Ubi verò posteris certo modo  
 prospectum, uti quidem erat Jure Romano, & hodie quoad  
 Nobilitatem cum sanguine in liberos derivandam observa-  
 tur, ibi defunctis etiam parentibus salvum est privilegium.  
 Et licet juxta mores liberi non eodem sint gradu, quo pa-  
 rentes; quo tamen præcedentiæ Jure parentes inter se  
 utuntur, eodem quoque & liberi inter se concurrentes  
 gaudent, quamdiu vel filia interioribus non nupta, vel filii  
 familiam novam non instituerint. Sic si pater vi officii vel  
 dignitatis personalis exemptus fuerit à Capitatione, vel Ac-  
 cisa solutione, filium in adibus paternis constitutum per  
 consequentiam eodem privilegio uti, patre vero defuncto  
 mox filium his oneribus subjeci, tradit FABER in *Cod. Lib. 9.*  
*Tit. 28. d. 24. n. 11.* E contrario privilegium Nobilitatis cum  
 sanguine in posteros ita propagatur, ut eo postremus per-  
 inde fruatur ac primus, non modo vivis, sed & mortuis pa-  
 rentibus, imò liberi, ante adeptam à Patre Nobilitatem na-  
 ti, nihilominus nobiles sunt. *cit. L. 5. ff. de Senator. NOLDEN.*  
*de Nobil. c. 8. n. 67.* pariter & filius Electoris aut Regis ille di-  
 cendus erit, qui ante Electoratum vel Regnum acquisitum  
 procreatus fuit. HERMES *Fuscic. Jur. publ. C. 18. Q. 4.* Imò  
 non tantum in derivanda parentum dignitate, sed & in aliis  
 Juribus practica dicta *L. 5. ff. de Senator. obtinet:* Unde  
 quæ filiis opificum indulta beneficia, ut vel nullis, vel mi-  
 noribus sumptibus in Collegio recipiantur, eadem & ad  
 filios natos, antequam pater illius Opificii Magister fieret,  
 extenduntur. CARPZOV. *P. 2. C. 10. d. 32. n. 10.*

### §. XXXVI.

Ex dictis constare arbitror, etiam filios illustrium per-  
 sonarum illustri parentum Jure omnino gaudere, ita ut  
 mox ex nativitate sint Duces, Comites, & Barones, pro  
 conditione parentum, & titulo eodem, etiam quoad ipsas  
 provincias, quibus pater præest, gaudeant. BESOLD. *de Elect.*

*et Success. L. 1. Diff. 6. n. 5.* Quamvis autem ex hoc fundamento concludant SCHVBHARD. *de Aufreg. cap. 3. n. 93.* MYLER. *in Gamol. princip. cap. 21. §. 2.* ROSENTHAL. *de Feud. c. 9. concl. 56. n. 16.* quod liberi illustres sint immediati Cives Imperii, ac ita neminem alium nisi Imperatorem agnoscant Judicem, & privilegiato illo Principum Imperii foro in prima Instantia, scil. Austregis gaudeant, quia, ut dicunt, illi illustres cum patre in dignitate sunt pares, *seynd gleichmäßige Fürsten*, par autem in parem non habet imperium; & ipsis non minus titulus tribuitur Ducis vel Comitis, *der Fürsten und Grafen*, weil sie aus Fürstl. und Gräfl. Stämmen gebohren, praesertim, cum non ultimo defuncto, sed primo acquirenti succedant, ut ob id forum suum non in territorio patris, sed ubi alii immediati Cives Imperii fortiri videantur. Ast sententia contraria ex illis, quae superius dicta sunt, mihi longe verior esse videtur; Nam sunt quidem filii illustres, *gleichmäßige Fürsten*, non ratione potestatis & superioritatis territorialis, sed, sicuti ipsi fateantur, weil sie aus Fürstlichen und Gräfl. Geblüth gebohren seynd, & quia vivis parentibus sunt quasi Domini rerum paternarum, ac certissimam spem succedendi in Principatibus ac Comitatus obtinent; & licet succedant non ultimo possessori, sed primo acquirenti, interim tamen is, qui succedit, non habet possessionem & Jura paria cum illo, cui succedit, eo superstate, exemplo aliorum feudorum Regalium & non Regalium; Hinc falsum est, quod princeps non possit esse Judex in causa filii, sive illa civilis sit, sive criminalis. VI-TRIAR. *in Jure publ. L. 3. tit. 17. §. 11. seqq.*

§. XXXVII.

Porro Extensio privilegiorum etiam pure personalium locum habet propter individua causa connexitatem. Hinc minoris privilegium restitutionis in integrum in causa individua etiam socio majori per consequentiam prodest. *L. 10. ff. quemadmod. Serv. amitt. CARPZOV. p. 2. c. 9. def. 4.* item Laicus cum Clerico ob delictum captus, simul cum eodem ad Judicem Ecclesiasticum est remittendus. *Arg. L. 10. C. de Judic.*

Judic. in praxi tamen id non servari, sed quemlibet horum ad suum Judicem mitti, testatur ENGEL. X. de Foro compet. n. 47. Porro quando Laicus cum Clerico commune jus habet patronatus, privilegio Clerici, & vicissim Clericus, in jure patronatus mixto, privilegio Laici fruitur, proinde ejusmodi beneficia Juris patronatus mixti, in quo Laicus ex fundatione, dotatione, aut constructione concurret, a Regularum Cancellaria & Concordatorum Germania reservationibus sunt libera. PIRHING. X. de prebend. n. 324.

§. XXXVIII.

Aequiparatio aliquorum pariter extensionem privilegiorum exigit, sed in ordine ad illa tantum, in quibus aequiparantur. Idcirco quia Ecclesia Minori aequiparatur, C. 1. §. 3. X. de in integr. restit. beneficia minorum etiam participat, qua propter sententia contra Ecclesiam legitimo defensore carentem, perinde ut contra minorem sine tutore vel curatore lata, est ipso Jure nulla. L. 1. §. 2. C. qui legit. person. stand. in Jud. Cap. 3. X. Ne Sed. Vacant. Et ut pupillis ac minoribus in bonis Tutorum ac Curatorum suorum tacita Hypotheca competit, ita & Ecclesia, Monasteria, & alia pia loca in bonis Administratorum tacitum pignus habent. KÖNIG. X. de pignor. n. 11. STRUV. S. I. C. Exere. 26. 1b. 15. item, sicut minor latus in integrum restituitur, sic & Ecclesia & alia pia loca eodem privilegio fruuntur. Cap. 1. 2. §. 3. X. de in integr. restit. Eodem modo si privilegium Religiosis concedatur, etiam ad Moniales, & si peregrinis, etiam adfoeminas pertinet. arg. L. 93. §. 3. ff. de legat. 3. nisi de alia mente concedentis constet, aut foemina privilegii illius sint incapaces. WIESTNER. X. de Privileg. n. 39.

§. XXXIX.

Extensio privilegiorum etiam fieri solet ex regula Surrogationis, vi cujus surrogatum sapit naturam illius, in cuius locum surrogatur; inde privilegium actionis prima competit in actione surrogata. L. 1. §. ult. ff. de Constit. pecun. sic eum ad officium vel munus aliquod, cui unus consueverat praesse, plures eliguntur, omnes hi in solidum illis privi-

privilegiis fruuntur, quibus ille solus fruebatur. *L. Binot. 10. C. de Advocat. div. Judicior.* in Ordine tamen Collegii furrogatus cedit antiquioribus, licet ille, cui furrogatus est, sit inter primos. *L. 13. C. de Proxim. sac. serin. L. pen. C. de Profess. & Medic.* Eadem de causa defensoribus competunt privilegia principalium, quia eandem subeunt vicem, quam reus subiret, eademque actione conveniuntur, qua abfens reus conveniendus esset. *L. 51. §. 1. ff. de Procurat. L. 14. ff. solut. matrimon.* SCHAMBOG. *ad §. fin. Instit. de. Replicat. ENENK. de Privileg. L. 2. C. 4. num. 122.*

§. XL.

De Cessionario quaritur: utrum in eum extendantur privilegia, quæ cedenti quoad actionem cessam competunt? LAVTERB. *Colleg. ff. de Heredit. vel action. vend. §. 56. de Juribus causa & actioni coherentibus, v. g. tacita hypotheca actioni pro dote annexa affirmat; Econtra negat de personalibus privilegiis, quæ cedentis personæ inhaerent, per L. 42. ff. de Administr. & peric. tutor. L. 68. & 196. ff. de R. L.* Ast verior mihi vedetur opinio FRANZKY *L. 1. Resol. 14. n. 44. segg.* Nam licet etiam usufructus mere personalis sit, & in tertium transferri nequeat, utiliter tamen quoad exercitium tertio cedi potest. *L. 12. §. 2. L. 67. ff. de Usuf. cur non etiam similiter privilegium personale pralationis, quo v. g. juxta L. 12. C. Qui potior. in pign. uxor vel ejus liberi gaudet, ratione effectus & exercitii utiliter cedi possit, ut eodem utatur cessionarius, quamdiu cedens vivit, ex cujus persona mandatis actionibus directis experitur.* HVNN. *ad Treutl. Vol. 1. D. 25. Th. 10. lit. D. Quæst. 25. circ. fin.*

§. XLI.

Frequens etiam est extendendi privilegia modus per Communicationem, quando Superior ipse privilegium, jam prius uni vel loco vel personæ concessum, ad alium locum, vel personam extendit, quod vocari solet privilegium referens. sive ad instar. *L. 35. C. de Episcop. & Cleric.* Ubi disceptari video: An aucto, minuto, vel revocato privilegio priori, augeatur, minuatur, vel revocato etiam pri-

vi-

privilegium ad instar concessum? Difficultas cum distinctione sequenti resolvi potest: Vel enim privilegium communicatur alteri, non per se & principaliter, sed quasi dependenter à priori, quâ ratione privilegia alicujus Religionis interdum communicantur ejusdem familiaribus; & dum aucto, minuto, vel revocato privilegio principali, necessario augetur, minuitur vel revocatur privilegium ad instar, quia à priore quoad usum dependet, ut accessorium à principali. Vel privilegium communicatur alteri non dependenter, sed directè & aequaliter, ita ut is, cui communicatur, illo uti possit eodem modo, quo prior poterat, non minus, ac si eidem primo fuisset concessum; & tum aucto, minuto, vel revocato privilegio priori non augetur vel minuitur privilegium ad instar, quia utrumque privilegium stat per se, ut re ipsa distinctum, & posterius est quidem concessum ad instar prioris, non tamen à priore tanquam accessorium à principali quoad usum dependet. PIRHING. X. de privileg. n. 26. SCHWEDER. in Jur. publ. part. spec. Sect. 1. c. 10. n. 3. in fin. Atque hæc sunt, quæ pro qualiquali Inaugurali Specimine proponenda duxi. Ad plura alia hæc utilissima extensionum materia equidem extendi potuisset, sed ut hic pedem figam, brevitatibus & instituti ratio jubet.

### POSITIONES JURIS.

I.

1. *Ura Majestatis extrinseca à subdito quâ tali præscribi possunt.* 2. *Jurisdicctio Judicii Imperialis Aulici est Ordinaria.* 3. *Eligendus in Imperatorem voto sibi dato potest efficere majora.* 4. *Vicarii Imperii non omnia, quæ Imperator, peragere possunt.* 5. *Sub Obreptione dolosa totaliter vitiantur tam Rescripta Gratia, quam justitia.* 6. *Collatio beneficii nulla est, licet fiat statim post lapsum temporis à jure definiti.* 7. *Codex quoad so. Decisiones derogat Digestis.* 8. *In foro Contracturagi potest ad distractum.* 9. *Emptor ex L. 2. C. de Rescind. vend. non potest impugnare emptionem.* 10. *Forum domicilii concurrens cum foro rei sitæ.* 11. *Mala fides si per-*

perveniens non obest *ACTIONI Publicianæ*. 12. *Qui ex alia causa quam administratione, est debitor, non rejicitur à SS. Ordinum susceptione.* 13. *Dissolutis mutuo consensu sponsalibus remanet impedimentum publicæ honestatis.* 14. *Constituens procuratorem ad loquendum in S. Baptismo infantem contrahit cognationem spiritualem.* 15. *Possessor juris conferendi beneficia valide illa confert etiam lite pendente.* 16. *Judex delegatus potest sententiam suam exequi.* 17. *Præsumptiones violentæ & evidentes sufficientes ad reum condemnandum etiam in Criminalibus causis, ad penam quoque Ordinariam.* 18. *Imperium merum est genuina Jurisdictionis species.* 19. *Illi, cui desensio pro avertenda inquisitione concessa est, acta ad sui informationem edenda sunt.* 20. *Exceptio Excussionis ad hypothecam generalem restringitur.* 21. *Donatio simplex non confertur, sive filiofamilias, sive emancipato sit facta.* 22. *Emptor ad usuras pretii tenetur à die factæ traditionis, si fides de pretio non sit habita.* 23. *Respublica creditrix privilegio tantum personali gaudet.* 24. *Pubertati proximus testis esse potest.* 25. *Jurisdicção summa Ecclesiastica datur.* 26. *Quæ immediate à DEO descendit,* 27. *Et residet penes solum Summum Pontificem.*

O. A. M. D. G. E. B. V. H.





Erfurt, Diss., 1725-26

X 235 5902





1725,14

15

DISSERTATIO INAUGVRALIS IVRIDICA  
CANONICO - CIVILIS,  
DE  
**PRIVILEGIORVM  
EXTENSIONE;**  
QVAM  
IN PERANTIQA VNIVERSITATE  
ERFORDIENSI  
RECTORE VNIVERSITATIS AC PRO-CANCELLARIO,  
VIRO MAGNIFICO, MAXIME REVERENDO, ILLVSTRI, AMPLIS-  
SIMO ATQVE CONSVLTISSIMO  
DOMINO  
**CHRISTOPHORO IGNATIO  
DE GVDENVS, J. V. D.**  
INSIGNIS ECCLES. COLLEG. S. SEV. CAN. CAP. ET SCHOLAST. EMINENT. AC  
CELSISS. PRINC. ELECTORIS MOGVNT. CONSIL. ECCLESIAST. EIVSDEM-  
QVE PER THVRING. IN SPIRIT. SIGILLIFERO,  
EX DECRETO ET AVHTORITATE AMPLISSIMÆ  
FACVLTATIS IVRIDICÆ,  
**PRO LICENTIA**  
SVM MOS IN VTROQVE IURE HONORES, ET PRI-  
VILEGIA DOCTORALIA LEGITIME AC SO-  
LENNITER CAPESSENDI,  
PVBLICÆ ERVDITORVM DISQVISITIONI SVBMITTIT  
AVTHOR  
**GEORGIVS JOSEPHVS STEIN,**  
FVL DENSI S,  
DIE XXV. AVGVSTI, A. O. R. M DCC XXV.  
IN AVDITORIO MAJORI, COLLEGII MAJORIS, HOR. CONSVET.

ERFORDIÆ, Typis GROSCHIANIS, Acad. Typogr.

